





No 369 - App XIV

12

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
SISTENS
THEORIAM
TYMPANITIDIS

QVAM
AVSPICE DEO PROPITIO
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICI
PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO ET DOCTISSIMO
FRID. CHRISTIANO IVNCKERO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE HVIVSQUE
PROFESSORE PVBL. ORDIN. PAEDAGOGII REGII AC ORPHA-
NOTROPHEI HALENSIS MEDICO CONSTITVTO

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
MORE MAIORVM RITE OBTINENDIS

AD DIEM XXX. MAII MDCCLX.

BENEVULO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

A V C T O R

GOTTLOB BERNARDVS TENDAL

WERNIGERODANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
LITTERIS HILLIGERIANIS.

DISTRICT ...
THE FORAM
TYM ...

BY ...
PROFESSOR ...
DOCTOR ...

PRO GRADU ...
DOCTOR ...
BY ...

CELSISSIMO ATQVE PERILLVSTRISSIMO

COMITI AC DOMINO

DOMINO

IOHANNI HENRICO V.

S. R. I. COMITI

AB HOCHBERG

LIBERO BARONI IN FÜRSTENSTEIN

RELIQVA

ORDINIS EQVESTRIS IOHANNITARVM

EQVITI DESIGNATO

IN

SVPPLINBURG

DOMINO CLEMENTISSIMO

NEC NON

CELISSIMO AC PERILLVSTRISSIMO
COMITI AC DOMINO
DOMINO
CHRISTIANO FRIDERICO

S. R. I. COMITI

A STOLBERG KOENIGSTEIN ROCHEFORT
WERNIGERODE ET HOHENSTEIN
DYNASTAE

IN EPSTEIN MVNZENBERG BREVBERG AIGMONT LOHRA
ET KLETTENBERG

CETERA

ORDINIS EQVESTRIS IOHANNITARVM
EQVITI DESIGNATO

DOMINO INDVLGENTISSIMO

COMITES CELSISSIMI
COMITES AC DOMINI CLEMENTISSIMI



Diu quidem multumque animo mecum reputavi,
num specimen hocce inaugurale, VESTRO, CEL-
SISSIMI COMITES, nomini consecrarem. At
vero quum optime nouerim, VOS non omnem
solum, quod quemlibet in summam VESTRI ad-
ducit admirationem, studiis nauare scientiisque
operam, et studiorum insuper benignissimos esse
promotores, sed animum quoque VESTRVM adeo propiti-
um esse et annuentem in quaecunque pia mente VOBIS obla-
ta,

ra, vt omnis aufugiat metus contrarii: nullus dubitavi, quin
haec in re medica VOBIS dicatas primitias aequi bonique face-
re non dedignemini. De reliquo summum vniuersi huius AV-
TOCRATOREM summis iisque ardentissimis adoro precibus,
vt VOS, cum sanguine tum animo coniunctissimos, qui tan-
quam eximium effulgetis et in excelso loco positum CEL-
SISSIMAE vtriusque DOMVS decus, per bene longam anno-
rum seriem sanctos esse velit incolumesque, bono publico
olim stabiliendo, futurisque subditis tales Dominos, conser-
uet, quales hucusque iam cognitos VOS fore iudicarunt.
Ego vero omni innitar studio, vt VESTRA, quam maxime
in votis habeo, clementia non plane indignus videar.

COMITES CELSISSIMI

COMITES AC DOMINI CLEMENTISSIMI

NOMINIS VESTRI

CL'ENS DEMISSISSIMVS
GÖTTL. BERNARD. TENDAL.



DE
T Y M P A N I T E.

§. I.



Acerbi istius atque exitiosi morbi, *τυμπανίας* seu *τυμπανίτης* qui Graecis appellatur, naturam atque indolem heic contemplaturus, non male mihi videor acturus, si prius paucis expediam, quam de eo dicere aggrediar, cur et vnde gravissimo huic malo hoc nomen inditum haereat? Nuncupatur illud ita a primario suo et maxime conspicuo, quo se nunquam non profert et stipatum deprehenditur, si solum nec hydrope ascite comitatum extiterit, symptomate, quod in ingenti, constante ac dura ventris consistit inflatione ac distentione, usque adeo ut plurimum renitente, ut is digitis percussus, tanquam tympanum sonet, nec vllum digitorum prementium vestigium relinquat. Vocatur hic morbus ab HIPPOCRATE quoque *ἰδρωψὺς ξυρὸς*, hydrops siccus; ab aliis vero flatulentus: quod si solitarius est et hydrope ascite incomitatus, venter in tantam molem a solis flatibus, vel in eius cauo, vel in intestinorum sentina conclusis et accumulatis, attollitur, vix vlllo aquae cuiusdam vestigio in iis vnquam apparente. **A** quanquam vero, rem ita ferre, si tym-

si tympanites solus nec vlllo ascite stipatus animaduertitur, historiarum et obseruationum medicarum monumenta loquuntur: caue tamen, existimes, eam quoque eodem se habere modo, hydrope ascite cum *τυμπανία* coniuncto huicque comite haerente. Ex infra enim dicendis clarius patebit, tympanitem rarius solum atque incomitatum in recessibus abdominis interioribus; sed multo crebrius ac frequentius cum hydrope ascite confociatum consistere: vbi tum haud facile quisquam eiusmodi sonum Tympani similem, sentiet, etiamsi ventrem inflatum, quam diu multumque velit, digitis tutuderit seu pulsauerit.

§. II.

Enim vero Medentium multis etiamnum esse videtur ambiguum, an tympanias vnquam solitarius et ab hydropis ascitis connubio seiunctus reperiatur? Ex tanto rei medicae scriptorum numero, qui huius sunt sententiae, citare mihi liceat TRINCARELLIVM, *tympanias et ascites, inquentem, nunquam adeo separantur, vt altera species alterius sit expers: semper enim in ventre et aqua, et ventus est, licet inaequali copia a)*. Cui nec DOLAEVS abludit, itidem diserte tradens, tympanitem raro quidem solitarium esse, sed ordinario asciten habere comitem b). Quibus etiam RIVERIVS congruere videtur, pariter haud obscure prodens, flatum, tympanitidis effectorem, raro solum in abdomine contineri, sed plerumque aquae permixtum; quemadmodum etiam in ascite non aqua sola, sed flatus etiam in abdomine contineretur c). Tametsi vero ipsi suscipimus, asciten plerumque tympanitae se socium adiungere et comitem haerere: propterea tamen nec potest negari, quin tympaniticus morbus solum subinde se humano corpori inferat atque insideat, nullo ascite comitatus; quemadmodum illud pluribus obseruationibus, a Viris, doctrina atque scientia artis medicae facile principibus, solerter annotatis et memoriae proditis, testatum facere possemus, si vsus esset et temporis angustia id ferret. Ne quis vero in opinio-

nem

a) Tractat. de cognoscend. et curand. morb. Libr. VI. Sect. II. Cap. XII. p. m. 688. b) Encyclop. libr. 3. cap. 9. §. 3. c) Oper. medic. vniuers. Libr. XI. prax. medic. cap. VI. p. 391.

nem adducatur, haec dicis caussa duntaxat a nobis dici, satis erit huic asserto confirmando quaedam solummodo obseruata in medium heic adducere.

§. III.

E testium nube, quos in fidem huius rei vocare possumus, primus prodeat BALLONIVS, qui diserte scribit, ex puellae tympaniticae acu puncto ventre nihil, nisi magnum sonum exiisse, quo edito, abdomen statim subledisset d). Cui testes succedunt VALLESIVS e) et COLLADO f), itidem tradentes, ex aperto cadauere tympanitico nihil aquae effluxisse, sed, crasso expirante flatu, totum repente ventrem detumuisse. Cum hisce obseruatoribus etiam B. HEISTERVS concinit, obseruationem perquam memorabilem mulieris cuiusdam referens, quae sibi ob insignem sui abdominis molem, in dies in maius augescentem et praeter modum intumescentem, vterum ferre visa est: e cuius ventre, post fata, dissecto, simul atque ei exigua duntaxat plaga fuisset inflicta, illico aer intus reconditus, cum magno sibilo strepituue per eam erupisset, abdomine, quod ante in tumorem perquam conspicuum erat distentum, plane concidente g). Quamuis vero haud equidem abnuerim, malum hoc nonnunquam solum neque vlli asciti copulatum deprehendi: non tamen diffitear, idem quoque multo frequentius cum ascite simul confociatum ventri suboriri, vulgari experientia id innumeris testimoniis satis comprobante.

§. IV.

Neque inter Auctores de loco seu morbi sede, vbi flatus generantur, conuenire videas, monumenta illorum, quae de hoc morbi consignata exstant, consulturus. Nam plerique fere omnes Medentium, eos in solo alimentorum canali, ventriculum puta et intestina, nasci et coerceri, statuunt; negantes, eos vnquam, extra intestinorum sentinam, in abdominis capacitate haerere et consistere: aliis contra asserentibus, flatus in tympanite non semper intestinorum interioribus recessibus insidere; sed interdum,

A 2

extra

- d) Paradigm. 141. e) Comment. in libr. IV. de vict. ration. in acut. p. 284.
f) Aduersarior. Libr. II. Cap. LX, §. 22. g) Ephemer. Natur. Curiosor. Centur. V, Obseru. LXXXIV.

extra ea, in solo abdominis cauo conclusos coërceri, intestinis omnino intemeratis nec vlla inflatione distentis, sed prae laxitate collapsis. Nonnulli vero alii existimant, flatus, in hoc morbo, non in solo intestinorum canali suam sibi sedem figere, ea praeter modum inflando ac distendendo; sed indidem quoque, vel per coecos tenuesque, nescio quos, ductus; vel per ruptas ex-fasque eorum tunicas, aut lacteas venas, impetu viam sibi muniendo, in ipsum abdominis spatium penetrare sicque ventrem, vtris in modum, vsquequaque dispendendo et inflando, in tantum tumorem attollere. Verum enim vero si ea, quae Anatome in cadaueribus tympanite defunctorum, omnium oculis conspicienda obiecit, in subsidium sumus aduocaturi, facile perspiciemus, hoc malum hominibus subinde exoriri, flatibus in abdominis duntaxat cauo, extra intestinorum canalem, genitis, sensimque ita cumulatis, vt istud, follis inflati instar, in tumorem eiusmodi durum ac resonantem distendant: longe frequentius vero, quin vsitatissime enasci, iisdem in intestinorum sentina solum abundantius iusto et aequo congestis ac stipatis, eoque pacto ventrem distentu ita sufflantibus, vt vngue percussus, tympani sonum edat: quid? quod haud insolenter vsu venire, flatibus eiusmodi in vtrisque, tum abdominis capacitate, tum intestinorum cloaca, collectis et vltra modum coaceruatis. Quo autem cuncta haec euidentius appareant, commodum erit nec ab instituto nostro alienum, quae nunc de diuersa flatuum sede hoc in malo a nobis tradita et stabilita sunt, ex nonnullis obseruatis, ex anatome practica expromptis et omni luce clarioribus, exstruere et ab omnium reclamazione vindicare.

§. V.

Perhibui autem paulo ante, flatus in tympanitica afflictione nonnunquam, extra intestinorum volumina, in ventris lateribus consistere, ac pedetentim magno cumulo vsque adeo augeri, vt is saepe in mirandae magnitudinis tumorem surgat. Cui asserto testimonio esse possunt illa obseruata, quae iam supra ex VALLESIO et COLLADO in medium adducta leguntur, quos ex cadauere tympanitici extincti et ab ipsis incisi nihil, nisi crassum
flatum

flatum exspirantem vidisse, retuli, quo efflato, torus venter subito detumuit. Vid. §. III. Idem quoque testatum facit BALLONIVS, qui abdomen puellae tympaniticae inflatum, ab eius morte, acu aperuit, quo peracto, statim aër magno sono indidem prorupit, ventre toto subsidente. Neque B. HEISTERI animaduersio, quae omnium evidentissime hoc testatur, nobis est praetermittenda, itidem quoque iam §o. citat. a nobis commemorata, de muliere ista, grauida sibi visa, quae ex tympanite mortua est, cuius ex abdomine continuo, simul ac peritonaeum modo exigua plaga fuit confossum, aër aliquantum foetidus, cum magno strepitu et impetu exiuit, ventre subito cœcidente et desidente. In hac historia notatu omnium est dignissimum, quod intestina se, prout alias in sanis, habebant. Haec proinde satis superque esse censeo ad dilucide demonstrandum, quantopere fallantur, quibus persuasum est, flatum in tympanite in solis semper intestinis concludi et stipari; non vero vnquam, extra ea, in ventris capacitate contineri. Apparet etiam atque exstat iisdem hisce obseruatis, vel illos errore implicari, qui quidem suscipiunt, flatum subinde, citra intestinorum alueum abdominis spatio inerrare; sed non, nisi cum aquis huc effusis commixtos. Nihil vero quicquam aquei flatibus, in hisce tympania defunctorum cadaueribus, fuisse interfusum et permixtum, ipso aspectu abunde patuit.

§. VI.

Non vero e ventris tantum cauo, sed etiam ex alimentorum canali, quo ventriculum et intestina velim comprehensa, coërcitos subinde prodiisse flatum, similiter complures Medicorum obseruationes faciunt testatissimum. Sic PLATERVS exemplum affert perquam memorabile de puero tympanitico, per quatuordecim dies alui excrementa per os euomente, nec per secessum quicquam egerente; in cuius cadauere non rugitus ventris solum et illius quandam palpitationem, etiamnum aliquantisper a morte perseuerantem, sensit, sed ventre aperto etiam flatum inde erumpentem vidit. Quod vero omnium potissime in hoc puero venit memori pectore notandum, est, quod intestina tantopere distenta deprehendit, vt femoris crassitiem, certis in locis, adaequare visa

fuerint: aliis vero locis adeo conuoluta, intorta et implexa, vt nulla illic, nec excrementis, nec flatibus deorsum patuerit via. Sed et vermibus viuis oblongis quamplurimis repleta. Praeter haec autem hepar corruptum, arenulis, lapidibus infarctum liem imminutum, et pulmones vitiatos inuenit h). Idem hic laudatus modo Auctor in aliis quibusdam, qui tympanitici putabantur, ab obitu dissectis, obseruando notauit, flatum nullum e ventris cauo erupisse nec ventrem subsedisse; sed intestina sola, praesertim tenuiora, adeo flatibus distenta et conuoluta, prodiisse, vt in eundem ventrem reponi amplius nequirent, mirumque fuerit, quo pacto in abdomine, prius clauso, adhuc contineri potuerint i). Quorsum etiam pertinet exemplum de puerpera quapiam tympanitica, cuius S M E T I V S meminit k), in cuius dissecto cadauere, in peritoneo extra intestina, ne guttula quidem aquae, nec flatus quicquam inuentum: verum vniuersa intestinorum volumina, immo vna ventriculus ipse, omnia flatu distenta, pellucida et tantum non omnis excrementi vacua visa fuerunt. Ab hac obseruatione nec multum abludit, quae FABRICIVS HILDANVS litteris prodit de puella quapiam tympanitica, in qua, post interitum, sectione non intestina solum reperit flatu extensa, sed ipsum quoque ventriculum expansum l). Simile quid SCHOLZIVS quoque animaduertit in puero nobili, doloribus colicis et flatibus per aliquot dies misere vexato, in cuius aperto cadauere mirum quantum distentus ventriculus deprehensus, nihilque in eo, praeterquam flatus et aliquid humoris visceri visum fuit, intestina autem omnia ita pellucida transparuerunt, vt etiam, multis locis compuncta, statim conciderent, ne guttula quidem alicuius humoris in iisdem apparente, reliquis visceribus se bene habentibus m). HERCVLES quoque SAXONIA, in nobilis Patauini cadauere secto, conspexit omnia intestina flatu plena, dilatata et
 omni.

h) Obseruat. L. III. p. 656. i) Prax L. III. cap. de Extuber. k) Miscellan. medic. L. X. p. 524. et Libr. VII. Epist. IV. l) Centur. VI. obseruat. LXXIV. m) in Ephemer, Germ. Dec. 1. Ann. II. obseru. 86.

omnibus faecibus inania n). Collectores quoque Bibliothec. Anatom. o) idem in virgine atrabilaria, menstruorum suppressione atque inde ortis hypochondriorum obstructionibus et inflationibus diu conflictata, tandemque hydrope sicco correpta, annotarunt, e cuius secto cadavere intestina omnia, flatibus admodum turgida, cum impetu exiluerunt, nulla, nec vnica quidem, aquae guttula in ventris cauo se in adspēctum proferente.

§. VII.

Tandem mihi superest cadauerum sectionibus demonstrandum, tympanitem quoque nonnunquam enasci a flatibus, tum in ventris, tum intestinorum cauis simul consistentibus. At vero metuendum mihi esset, ne sermo meus futurus esset longior, quam mihi constitutum est, ea omnia heic expromere conaturo, quae ab obseruatoribus rei medicae disperse annotata leguntur. Supra enim haud obscure perhibui, non facile tympanian inueniri, quin hydrope ascite stipatus simul et comitatus sit, SENNERTO id disertis verbis tradente; flatus enim, inquit, et aquam ita interdum misceri, vt vtrum morbus ad Asciten, an vero ad Tympaniten sit referendus, ambigere quis possit p). Si itaque flatus, extra intestinorum compluuium in ventris cauo aggesti fuerint et coaceruati, vix quicquam dubii est, quin Asciten vt plurimum sint comitem habituri. Hinc quoque est, cur SEBIZIVS non minus docte, quam vere scribit, HIPPOCRATEM hanc hydropis speciem ὕδρωτα ξηρόν appellasse, vt ab ascite inter nosceretur, non ideo, quod nulla in tympanite sit aqua; (sic enim hydropis nomine appellari nequiret) sed quod plus flatuum, quam aquae, in hoc praesto sit, quamuis et in Ascite plurimum subinde flatuum obseruetur q). Si cui vero collibitum fuerit eiusmodi obseruata, vbi Ascites cum Tympania societatem coiuerit, per noscere, ei BONETI sepulchretum anatomicum suadeo euoluendum, in quo r) complura, hoc loco commemorari haud necessaria, depre-

n) Praelect. practic. Part. II. cap. XXIV. o) Part. I. p. 97. p) Libr. III. Prax. medic. Part. I. Sect. II. cap. IV. q) Specul. Medic. pract. Tom. I. Part. IV. Sect. IV. cap. XVIII. r) Libr. III. Sect. XXI. Obseruat. XXIV. XXV. XXIX. XXX. XXXI.

prehendet, quae nostrum assertum confirmant. Nobis satis duntaxat esse potest ostendisse, primum quod tympanias interdum, quantumvis perraro, solus mortales incessat, nullo ascite comitatus; deinde quod intestina sola non semper flatuum, qui tympanitis esse aduertuntur effectores, sint conceptacula, quippe quos etiam in ventris capacitate, extra intestina, aliquando genitos esse, deprehendimus.

§. VIII.

Qua quidem ratione tria tympanitis genera cum PLATERO s) constituere possumus, quorum primum a flatu, in intestinis solum consistente eademque nimium quantum extendente; alterum a flatu, extra intestinorum cancellos, ventris interioribus impacto ibidemque fixo haerente, et abdomen in magnum tumorem eleuante; tertium a flatu et aqua seu sero, vasorum alveis effuso, in abdominis cauo aggestis et inclusis, suos ducit natales: quemadmodum id quoque ex antea adductis ita perspicuum est, vt hoc dubitari nefas sit. Qua autem via flatus, (qui nihil aliud sunt, nisi materia quaedam aërea elastica, suis, quibus deuincta tenebatur et constricta, vinculis iam exsoluta, et calore corporis rarefacta quae in intestinis passim spasticis constrictionibus intercepta, horum parietes, plus minusue diducendo, molestia quin dolore afficit,) in abdominis capacitatem irrepant seque ibidem, extra intestina, infigant? illud, vt explicatu omnino arduum est; ita semper vel doctissimis et medendi scientiae peritissimis ingeniis, multum crucis fixit, *Φαινόμενον* hoc enodare conaturis. Namque qua ratione iidem, in alimentorum canali generati et insidentes, huius tunicis tantam subinde inferre valeant vim, vt homines inde acerbissimas ventris torsiones et inflationes persentiscant? haud difficile intellectu erit perpendenti, non fieri posse, vt flatus in intestinis vnquam nascantur, nisi aëri isti elastico, in intestinis concluso, spasticae horum contractiones se socias adiungant, quae flatibus obicem ponunt et iter expeditum, per intestinorum tubum, intercludunt, quibus rursus laxatis, flatus vel supra, ructuum, vel infra, crepituum nomine erumpunt.

s) Tom. III, Prax, p. 282.

punt. Adeo autem pertinax spastica haec intestinorum contractio subinde obseruatur, vt, WEPFERO Auctore, ea in colica defunctorum intestinis, quin etiam animantium, quibus purgantia acerrima dederit deuoranda, ab interitu perseuerarit, ita vt flatus aut contenta, in diuersis intestinorum locis, inter binas spasticas contractiones intercepta et occlusa, neque sursum, neque deorsum se propelli suerint t).

§. IX.

Quod vero spasmodicae intestinorum constrictiones, in flatibus excludendis et proferendis, praecipuas omnium et primas ferant partes, id vel inde cuius esse potest perspicuum; quod non facile mortalium quenquam deprehenderit, quantumuis maxima valetudinis prosperitate fruente, qui non, secundum naturam, aërem in suis aleret intestinis, vix tamen vlllo flatuum incommodo eis vsu veniente, quamdiu peristalticus intestinorum motus naturae ordini conuenienter successerit, etiamsi in dies eiusmodi esculentis et potulentis, quae plurimum aëris complexu suo continent, et flatibus ideo procreandis aptissima sunt, se ingurgitauerint. Cuius non est vlla alia ratio, quam quod iste motus, rite et naturae congruenter procedens, non vaporibus modo, qui semper, ob humidum et aërem in intestinis contenta, praesto sunt, resistit, sicque eorum nimiae rarefactioni obicem ponit; sed eos ipsos quoque per totum intestinorum tractum, sine omni molestia, propellit u), vt libere ita exhalare queant x). Simul ac vero vsquam, in aliqua intestinorum parte, spasmus se infixit, eam constringendo et occludendo; statim aëri elastico, alias velut sine sensu exhalare solito, iter in contermina intestinorum volumina praecluditur. Qui ergo interceptus atque incarceratus, et corporis calore gradatim magis ac magis rarefactus, atque ita elasticitatem nactus maiorem, efficaciam validiorem in tunicas istarum intestini partium exercet, in quibus inclusus penitusque defixus haeret, ea praeter modum distendendo,

B

dendo,

t) Histor. de Cicut. aquatic. pag. 199. u) FRIDER. HOFFMANNVS Fundament. patholog. special. Sect. VII. Cap. XV. §. VI. x) BOERHAAVE Aphorism. de cognoscend. et curand. morb. §. 648.

dendo, atque ita, (si huiusmodi aëris inclusio nimis crebro commemoratis segmentis vsu euenerit, vel nimium diu in iisdem perstitit), sensim paralytica quadam laxitate, nunc leuiore, nunc grauiore afficiendo atque induendo. Ex hisce vnicuique nunc perspicere in procliui erit, cur plerique Medentium effectricem flatuum causam in intestinorum conferant debilitatem, in veram paralyfin subinde ingrauescentem; atque praeterea simul in spasmodicas eorum contractiones, sine quibus non sane vllus vnquam flatuum in intestinis prouentus nec concipi quidem potest.

§. X.

Quemadmodum vero aër in ventris latebras, extra intestinorum caua, se insinuet, et vnde atque qua se eodem inferat? de eo rei medicae scriptoribus, qui aëuis superioribus vixerunt, parum constitit; neque cunctis illis, qui nostra memoria mendendi arte floruerunt, ita licuisse videtur, quin semper multum etiamnum dubii relinqueretur, eorum monumenta, quae litteris hoc de argumento consignata exstant, altius inspecturo. Veteriores, sibi persuadentes, sola intestina aëris seu flatus esse receptacula, in quibus generatus duntaxat atque exclusus foueatur, existimabant, illum, in iis praeter modum collectum et cumulatum, indidem per coecos occultosque eorum meatus in ventris ferri spatium, vbi in dies sensim coaceruatus, tympaniam proferre creditus est. At vero quum eiusmodi meatus commentitii nusquam in intestinis obuii sunt, eos heic refutari neque operae pretium est, neque attinet. Alii opinantur, flatus, ex alimentorum canali in vasa lactea delatos, iis diruptis, in abdominis cauum prolabi y), eoque pacto hunc morbum infligere. Sed tam multa sunt tamque graua, quae huic opinioni refragantur, vt oratio mea longius sit excursura, quam dissertationis ratio fert, cuncta ea heic traditurus. Nonnullorum ea est sententia, flatum aliquando, ex perforatis erosisque intestinorum tunicis, in abdominis latebras eruptum sese diffundere, et sic tympanitem mortalibus conflare. Verum enim vero tametsi haud equidem abnuero, posse omnino fieri, vt, intestinorum sentina vermibus

scaten-

y) FRID. LEPNERVS *introduc.* in *Medicin.* p. 31.

scatente, subinde ab his perrodantur sicque foraminibus peruia
 et adant: eorum tamen sententiae propterea assentiri nequeo,
 quod non exstat vllum exemplum alicuius tympanite extincti,
 in cuius intestinis, quantumuis vermium multitudine satis re-
 fertis, et flatibus mirum quantum distentis, eiusmodi erosiones
 vnquam fuerunt inuentae; quemadmodum id ex HERCVL.
 SAXONIAE ET PLATERI obseruationibus, supra commemo-
 ratis, abunde liquebit. Quid? quod nec desunt exempla eo-
 rum, quibus intestina a stabulantibus intus vermibus perrosa ac
 laesa fuerunt a morte deprehensa, ne vlllo quidem flatu seu aëris,
 in ventris cauum excussi, vestigio comparente, quum tamen
 hominum, vel sanissimorum, neminem facile offenderis, cuius
 intestina non semper sinu suo aërem complecterentur. Cur igitur
 is, in huiusmodi etiam subiectis, quum ipsi aditus atque
 exitus satis commodus ex iisdem, per talia foramina, in ventris
 abdita patuerit, non inde similiter elapsus abdominis cauum sub-
 ierit, inque tympaniticum tumorem extulerit? id exputare non
 possum.

§. XI.

Si quis igitur a me, quas plurimi Medentium de flatuum
 abdominis interioribus, extra intestina, inerrantium, prouentu
 attulerunt, rationes improbante, requisierit, quo igitur pacto
 ego istos ventris capacitati suboriri existinem? illum memoria
 rogabo repetendum, quae supra de tribus istis tympanitae gene-
 ribus, quae FELIX PLATERVS ex vero constituit, prodita le-
 guntur. Diserte enim isthic dixi, tympanian perraro solitarium;
 sed frequentissime hydrope ascite comitatum seu stipatum prodire:
 sicut contra hunc fere nullo non tempore cum flatibus sociatum
 conspicimus. Nihil igitur dubii est, quin aëris particulae, mole-
 culis lymphae seruae, extra suos ipsius canaliculos in abdominis
 cauitatem sensim euoluti effusique, intersitae, huius vinculis ex-
 pediantur, sicque exsolutae mutuo implexu iungantur. BOER-
 HAAVIUS quippe experimentis, haud sane infidis, demonstra-
 uit, aërem, qui sanguini nostro internatus est, quoad eius par-
 ticulae, a mutuo suo contactu et adhaesione inter se disiunctae et

diremtae, globulorum sanguineorum interstitiis seorsum interiectae haerent, nullam elasticitatem exprimere posse: quamprimum vero eius elementa, quae suo mutuo nexu exsoluta, globulorum poris seu interstitiis singula interlatere prodidi, indidem excussa et congregata in mutuos denuo ruunt contactus, statim eadem quoque suam pristinam vim elasticam recuperare inque bullulas aëreas coire z).

§. XII.

Omniū maxime vero notatu dignum esse autumo, quod aëriae hae particulae, quamdiu a suo mutuo nexu siue contactu seiunctae, et liquidorum vitalium interstitiis separatim haerent interfusae, a calore hominis sani ex suis vinculis expediri, siue suis ex oculis extrudi, inque vnum congregari non queunt, nisi accedant alia adminicula, humores nostros, praeter modum, interiori, citatori et violentiori motu cientia et agitantia, cuiusmodi sunt efferuescentiae, fermentationes, putrefactiones, cetera. Quanta enim aëris vis et copia hisce operationibus chemicis extricetur inque libertatem vindicetur, non BOYLEVS modo zz), sed BOERHAAVIUS etiam tam multis et praeclaris experimentis omnium oculis subiecerunt spectandum, vt et tempus, et operam, frustra contriturus viderer, ea heic exscripta daturus, quae ex ipsis fontibus iucundius hauriri possunt a). Quam sapienter igitur mortalium sanitati et vitae in hoc nonne prouisum esse existimas, quod aëreae particulae, per vniuersam sanguinis massam affatim diffusae, natiuo sani corporis calore indidem extricari, inter seque coniungi nequeant? Sensuum enim et obseruationum fide constat, eos homines, in quorum vasis aër ex humorum interstitiis fuit extritus inque bullulas confusus sicque elasticus redditus, nunquam non subita seu repentina morte occubuisse. Sic RVYSCHIVS in cadauere mulieris, subita morte defunctae, cor deprehendit stupenda magnitudine distentum a solo aëre, intus concluso, et sanguine omnino vacuum, quod

cul.

z) Element. Chemicæ Tom. I. pag. 507. et seq., et vAN SWIETEN comment. in Aphorism. BOERHAVII Tom. II. §. 646. zz) Experim. Physic. Mechanic. a) Chemicæ Tom. I. p. 527. et seq.

cultelli cuspidē ictum, statim, aëre expulso, desedit. Subiungit etiam, hominibus repentino morbo obire haud insolenter contingere, aëre nimia copia in eorum sanguinea massa cumulato b). PECHLINVS quoque in hominis, a multis ventris doloribus pectorisque angustiis tandem oppressi, cadauere dissecto, vidit, erupisse ex abdomine ingenti copia flatus, atque intestina omnia hinc et illinc iisdem turgida, ventriculumque totum, vtris instar, inflatum; cor ipsum quoque, a copioso flatu in immensum adactum, omni vero cruore vacuum, fuisse, ac venas demum, toto corpore passim flatibus distinctas, mirificam succi purpurei alterationem ostendisse c).

§. XIII.

IOHANN. IACOB. HARDERVS quoque experimentis, in viuis canibus adornatis, quorum venas iugulares aëre inflavit, eos indidem morte repentina interiisse, deprehendit d). Simile huic experimentum quoque VAN SWIETEN in cane viuo suscepit, in eius apertam venam cruralem flatum adigendo, vnde mox ingenti anxietate et respiratione seu anhelatione correptus, breui post periit e). CONRAD. quoque BRUNNERVS viui canis vasa, per venam cruralem aëre inflato vsque eo compleuit, dum huius murmura in canis praecordiis audierit; vnde is statim magna spirandi difficultate affectus, tentis mirum in modum artibus, breui post tetano infestatus fuit, reuulso oris rictu exsertaque lingua concitatissime respirans. Quum vero idem eodem in cane experimentum, hora post repeteret, ille interiit. In cadauere ventriculum et intestina inuenit rubicunda haecque mire corrugata et constricta; omnes vero in abdomine reconditas partes sanguine suffusas. Venas flatu turgidas obseruauit. Vasa lymphatica conspexit humore rubicundo ita impleta et referta, ut non, nisi ab attento et perito, a venis sanguineis distingui potuerint. Cor ipsum inque primis dexter eius thalamus cum vena caua, maxime turgida apparuerunt f). Ex hisce igitur,

B 3

quo-

b) Epistol. anatom. problemat. XVI. c) Obseruat. Physic. medic. LVII. d) Vid. eius Apiarium. p. 114. e) Comment. citat. §. 647. f) Experiment. nouis circa pancreas p. 178. et seq.

quorum plura recensere nihil negotii esset, dummodo tempus ferret, abunde perspicimus, quam male natura mortalium saluti consulisset, si iste aër, qui secundum naturam, sanguinis moleculis internatus haeret, indidem eo, qui sani est hominis, caloris gradu extricari inque vnum congregari posset: nihil enim dubii est, quin corporis integritas seu valetudo inde maxima detrimenta sit acceptura, immo hominibus, quibus tale quid contigerit, inexpectata et repentina quam saepissime mors superuentura. Sed ne a proposito declinemus, commodum nunc erit vel illud investigare, qua via flatus, qui extra intestina in ventris penetrabilibus multoties, in hoc morbo, obuii sunt, se eo inferant suamque sibi sedem isthic figant.

§. XIV.

Supra iam haud obscure significavi, illud tympanitae, ubi aër seu flatus, extra intestinorum caua, ventris abditis infederit, rarissime solum mortalibus accidere, sed creberrime atque adeo vsitatissime hydrope ascite stipatum deprehendi; sicut ex aduerso ut plurimum plurimi quoque flatus asciti se comites aggregare animaduertuntur. In hoc autem malo abdominis cauum lymphae, extra vasorum suorum alueos utcumque euoluta effusaque, nullo non tempore inundari, veritatis est exploratissimae, innumeris obseruationibus a Medicorum filiis satis testatae. Quae proinde, quum aërem aequae, ac reliqui corporis succi, intra sua interstitia dispersum et cohibitum, foveat: clarissime cuius inde dilucebit; non fieri posse, ut flatus ex hac, in abdomine effusa et sensim ibi cumulata lymphae, vnquam emergant, nisi aër iste, lymphae effusae particulis intersitus, indidem expediatur inque libertatem asseratur. Ex superioribus quippe constat, aëris elementa tamdiu vi sua elastica priuari, quamdiu a suo mutuo contactu separata, seorsim fluidas inter corporis partes occultata latent: statim vero eadem redonari seu denuo dotari, simul atque compedibus suis exsoluta in mutuum ruunt contactum. Hinc, ea quoque de lymphae, in ventris cauum effusae et quantacunque copia collectae, complexu auellantur et abstrahantur, necesse est, ut ita liberata et in vnum congesta, quoquoersus se expandere, siue

siue vim suam elasticam exercere queant. At vero eodem etiam loco (proditum est, caloris naturalis, quo sanus homo utitur, vim tantam non esse, ut dicta aëris elementa lymphæ laqueis seu nexibus explicare atque exsoluere valeat, nisi forte ei venerint subsidio longe efficaciora praesentioraque adminicula, cuiusmodi velut efferuescentiam, fermentationem aut putrefactionem esse ibidem tradidi. Iam vero experientiae suffragiis in comperto est, id esse liquidorum vitalium, quaecunque velis, ingenium, ut extra canales suos transfusa inque loco calido immota haerentia, interiori motu cieri incipiant, a pristina sua natura sensim pedetentimque in alienam, putredinis tantum non consimilem, degenerandó: idem quoque hoc eodem modo lymphaticis laticibus, e suis vasis in ventris compluuium effusis, vsu euenturum esse, non est vllum dubium.

§. XV.

Hanc lymphæ, e suis ductibus profluae inque abdomine, extra intestina, corriuatae mutationem, intestino eius motu factam, nomine, quocunque velis, appelles, siue fermentationis, siue putrefactionis, siue alio quodam; id nostra parum vel nihil refert; nobis enim hic satis esse potest insignem istam, quam lymphæ exundans inque abdomen guttatim delabens subit, mutationem commemorasse, in intestina quadam satisque efficace minimarum eius molecularum agitatione consistentem, qua, calore simul adiuta, aëriæ particulae ex interstitiis, quae occupata tenebant, extritae atque emotae, potissimum in libertatem vindicantur, ut ita sui iuris factae, in vnum coire inque bullulas mire elasticas concrefcere queant, ventrem in ingentem tumorem atollentes. Videas itaque, vnde et quomodo tantus subinde flatuum proventus in abdominis spatio, extra alimentorum canalem, oriatur, hydrope ascite tympanitidi comite haerente: et e contrario qua ratione ascites sollemniter plurimo flatu stipatus spectetur, etiamsi primarium constituerit seu idiopathicum in huiusmodi aegrotantibus morbum? Sed fortasse dixerit quispiam, exstare in obseruatorum monumentis passim exempla tympaniticorum, in quorum cadaueribus, neque in intestinis flatus, neque quic-

quicquam feri seu lymphae in ventris capacitate, praeterquam solus aër seu flatus copiosus fuerit deprehensus; sicut id ex VALLESII, BALLONII et HEISTERI obseruatis, supra a nobis in medium adductis, satis innotuit. Qua igitur via et vnde aër elasticus seu flatus se in huiusmodi tympaniticorum ventrem intulisset?

§. XVI.

Quanquam haec obiectio prima facie satis ardua, nec adeo explicatu facilis, fortasse videatur: vix tamen quicquam sudoris est, vel hoc phaenomenon ex iisdem nunc allatis principiis planum facere, dummodo quis ad illam feri seu lymphae copiam, quae ex suis, siue perruptis, siue ultra modum dilatis, vasis in ventris compluuium guttatim defluendo, illapsa est, respexerit. Experientiae enim fide et testimonio compertum est, in aliquibus, ascite implicatis, parum vel certe modicum aquae seu feri, ex suis alueolis in ventris cauum deuoluti, cadauera eorum incidentibus aliquando obuium esse: in aliis vero, eodem hoc morbo afflictis, plurimum eius atque adeo incredibiliter multum in abdominis penetralibus occurrere. Quis praeterea Anatomes tam inscius est ac rudis, quin sciat, peritoneum, quod totius abdominis ambitum interiorem succiagit, et uniuersa propemodum in eo recondita viscera membranis, ex se generatis, contegit atque obducit, stupendae multitudinis foraminibus seu poris vsquequaue peruium esse, qui totidem emissariorum, in hoc intulucro terminatorum, orificia sunt. Hos vero meatus seu poros, quibus peritoneum vbiuis est pertusum, non ductus solum excretorios esse; sed vasa quoque resorbentia, quae liquores, in abdominis spatio peregrinantes, atque extra intestina in eo haerentes, absorbendo recipiunt, tam clarissimis sane grauissimisque argumentis iam pridem, a multis iisdemque praeclarissimis in medendi arte ingeniis est demonstratum, vt operam lusurus viderer, ea hoc loco dilucide expediturus, quae iam alii latius sunt profecuti. Quod si porro perpendamus, lympham, extra sua vasa in ventris interioribus consistentem, et corporis calore continenter fotam, procedente tempore, sensim pedetentimque, a
nati-

natiua sua indole desciscendo, in peius seu deterius mutari, et sua sponte in corruptionem, vel, si mauis, putrefactionem abire: facile liquebit, qua ratione flatus in abdomine, extra intestina, interdum nasci queant, vix vlllo latice lymphatico in ventre ob- uio et apparente. Paulatina enim hac lymphae, in abdominis specu subsistentis, corruptione, quae intestino eius motu longe auctiori efficitur, particulae lymphae a suo mutuo nexu dirimuntur, inque multo minutiores resoluuntur; quo aër, eis interie- ctus, inde expeditur inque bullulas aëreas, nunc valde elasticas, et ventrem multifariam inflantes, confunditur. Ipsae vero lym- phaticae moleculae, minutius iam diuisae, a venis absorbenti- bus paulatim haustae et receptae, in massam sanguineam reue- huntur, relictis in abdomine flatibus, utpote tam exiles venulas intrare ex suo ipsius ingenio ineptis. Si proinde tantum lym- phatici laticis ex suis vasis continenter in abdominis capacitatem destillat, quantum commemoratae venae bibulae perpetuo facile absorbere queunt; vix quicquam aquae, praeter flatus solos, in ventre relictos, deprehendes: sin autem plus huius liquidi assi- due e suis vasculis in ventrem emanauerit, quam resorbentes venae imbibere valent; futurum quoque est, ut semper multum, immo plurimum aquae vel lymphae in abdominis latebris, cum flatibus inde extricatis, simul inueniatur.

§. XVII.

Ex his igitur satis patebit, quemadmodum quoque aër in tympania, extra intestinorum sentinam, nonnunquam generari possit, nulla aqua in ventris interioribus obuia seque in aspectum proferente; nec vlla laesione in intestinorum tunicis vnquam apparente: quemadmodum id quoque ex iis, quae supra enarraui, exemplis manifestum est, vbi intestina integra, nec vllis forami- nibus vsquam pertusa, neque dirupta aut crosa, ut plurimum in- uenta faerunt.

§. XVIII.

In scenam prodiens hoc malum regionem lumbarem, in- que primis sinistram, cruciatibus et dolentibus afficit tensionibus; quibus alius adstricta et clausa comes est. Venter inflatus in-
tumo-

tumorem utriusformem, durum ac renitentem affurgit, tam vehementer subinde tensum, vt digitis percussus, tympani more resonet. Tumor hic prorsus est aequalis ac veluti fornicatus, minusque grauis, quam in ascite, mole etiam minor plerumque, raro maior existit et constans manet, quocunque etiam modo corpus componatur g). Intus rarius fluctuatio quaedam percipitur, saepe autem rugitu venter obmurmurat et manifesta copiosorum flatuum indicia ostendit. Namque frequens ructuum desiderium est h), qui aliquando per superiora violenter expulsi, aliquantulum leuamenti aegrotis afferunt; nonnunquam quoque crepitus ano emittitur, quamuis id rarissime accidat, quibus editis, itidem inde aeger sibi quodammodo leuari videtur, quamuis ventris tumor indidem nihil omnino desinat, sed nunquam non sibi similis persistat. Pedes non vsque adeo, vt in ceteris hydro-piseos generibus, immo interdum nihil, tument. Superiores corporis partes extenuantur et emacrescunt, si ab huiusmodi aegrotantium facie discesseris, vt quae non multum de nativo suo habitu mutata spectatur. Aestus nonnunquam ingens in hypochondriis huiusmodi aegrotantium percipitur, ac sensus quidam feruoris iuxta praecordia et umbilicum i); nec insolenter subinde de tensis, rodentibus et pungentibus acerbissime conqueruntur doloribus, in eadem hac nunc indicata ventris regione consistentibus, cumque aestu quodam satis acerbo coniunctis k). Id quod recte iam ab HIPPOCRATE animaduersum legimus, *quibus tormina et iuxta umbilicum, inquite, circaque lumbos dolores sunt, qui neque medicamentis, neque alio modo soluantur: iis in hoc ipsum genus sicci hydropis ista consuesse firmari l)*. Praeterea quoque spirandi difficultas angit, somnus est leuis et interruptus, nec saepe vllus aegro obrepit; appetitus ciborum aduertitur deiectus, corporis arteriae pulsus agunt inaequales, ipsum quoque cor validius iusto ac vehementius micat seu palpitat; praecordia anxietatibus subinde, ventriculus autem cardialgiis, quin

g) IODOC. LOMMIVS in Obseruat. medicinal. Libr. II. p. 200. BERGERVS
Dissertat. de Tympanite. §. VII. h) LOMMIVS l. c. i) BERGERVS l. c.
k) FRID. HOFFMANNVS Libr. et loc. cit. §. XIII. l) Aphorism. XI. §. IV.

quin etiam vomitibus, laceffuntur. In horum malorum cumulum aliquando etiam vrinae stillicidium, et ingens bibendi desiderium accedunt.

§. XIX.

Exposita itaque truculenti huius morbi historia, ex illa fatis apparet, quo pacto hic affectus ab aliis morbis, pariter abdomen distendentibus, velut a flatulentia simplici, hydrope ascite, cetera dissideat. Iam in eo est, vt huius morbi *αιτιολογια* breuiter perlustremus, ea quippe vel omnino ignorata, vel certe non recte intellecta, nulla quoque morbi est curatio: quia morbum curare, nihil aliud denotat, nisi eius causam eamque proximam radicis extirpare. Causae enim morbis, ex se genitis, adeo conferte contextequae cohaerent, vt hos assidue foueant et alant, neque vnquam morbi, causis eorum remanentibus, curari possint. De causa materiali huius affectus, quam supra aërem elasticum esse perhibui, ex alimentis in ventriculo atque intestinis concoctione elicited, et sui iuris factum, heic quicquam amplius tradi, non est necesse. Quod vero ad causas huius mali internas attinet, non vereor laxitatem intestinorum paralytoidem vel, si magis tibi arriserit, summam eorum atoniam veram tympanitis proximam declarare causam, quae vero minime totum eorum, a ventriculo ad exitum ani, tractum tenet occupatum; sed nonnullas duntaxat partes siue segmenta eorundem obsidet, ceteris intermediis seu interiectis intestinorum spatiis, spasmodica constrictione et coarctatione affectis, quemadmodum id luculenter **EX PLATERI** obseruatione, supra in medium prolata, apparuit, vbi intestina, quibusdam in locis, immensum quantum, flatibus intus conclusis, distenta fuerunt deprehensa, aliis vero locis ita intorta implexaque, vt nulla illic, nec excrementis, nec flatibus, deorsum pateret via. Nae illi igitur vehementer errare mihi videntur, qui, inani persuasione ducti, nulli dubitant illam intestinorum inflationem et distentionem solis spasmis acceptam referre et eos proximam tympanitidis causam constituere. Quomodo enim fieri posse putas, vt intestina a flatibus tantopere, tamque immensum, expandi se ac diduci sinant, nisi tonum eorum ac

resistendi vim impense enervatam infractamque esse susceperis? Quamdiu enim tunicis intestinorum satis vel certe tantum roboris et virium est, vt aëri rarefacto et quoquouersus se expandere nitenti, conuenienter renituntur, eum intra sua septa continendo et cohibendo: tamdiu quoque mortales nihil quicquam flatu perferunt. Vbi vero primum intestinorum vis elastica vitalis vñdecunque fuerit labefactata atque insigniter fracta; illico flatuum prouentus illis oritur. Quod vero in hoc malo spasticae etiam contractiones simul concurrant; id non *ἀποψία* solum, in apertis cadaueribus hoc morbi extinctorum, satis patuit; sed ex iis quoque perspicue apparebit, quae supra de generandorum flatuum modo iam vberius fusiusque disputata legi possunt. Quid? quod si nihil spastici malo huic admixtum foret et copulatum, vt quorundam fert opinio; haud sane vlla obuia esset ratio istorum acerbissimorum cruciatuum et dolorum, quibus tympanitici, circa praecordia praesertim et vmbilicum, identidem torquentur. Nec liqueret, quomodo ipsis tam frequentes borborygmi in ventre accidere possent, quos tamen constat semper oriri, motricibus intestinorum fibris constrictis, sensim a spastica contractione laxatis, quo aëri, suis vinculis laxato, spatium quantulumcunque datur se suis claustris, iam vtcunque apertis, proripiendi. Sed ne pluribus moremur in iis, quae iam in superioribus satis, meo iudicio, excussa explicataque habentur, ad reliquas causas progrediar contemplandas.

§. XX.

Operae itaque pretium erit vel illas causas huius morbosae calamitatis breuiter percurrere, remotiores quas scholae medicae nuncupant inque primis praedisponentes seu *προηγμένας*, vtpote quae tantae intestinorum laxitati omnium praecipue viam pandunt, eademque natiuo suo robore ac tono euertunt. Experimentiae autem fide et testimoniis compertum est, mortalium vix vllos alios tympanitae esse opportuniore aptioresque, praeter hypochondriacos, haemorrhoidarios et hystericas. Illi, si sanguis ista abdominis viscera, quibus per venam portarum arctissimum cum intestinis intercedit commercium et communio, ita inun-

daue-

clauerit, vt reliquis, a tergo succedentibus et refluxis vitalibus liquidis, vel aditum atque introitum in commemorata viscera praecludat, vel certe plurimum morae atque impedimenti iniiciat: hae vero si latex sanguineus, quo per menses exsoluuntur, vel copia multo minore, quam pro valetudinis integritate, vel nihil omnino per matricis sinum exundat. Qui ergo, in corporis vasis remanens, et sensim pedetentimque copiosior in his cumulatus, pari modo dicta viscera maiore vi et copia obruit, quam ferre et per sua vasa in orbicum motum voluere queunt. Ex quo igitur, per saepe fit, vt hisce visceribus damna maxima vsu eueniant et grauissima, velut humorum in iis stagnationes, infarctus, obstructions, in abscessus, vlcera, vel scirrhos aliaque huius sortis mala transeunt; quemadmodum id quoque pleraeque obseruationes in cadaueribus, tympanitide defunctorum incisis, fecerunt testatissimum.

§. XXI.

Ex plerisque enim obseruatis, quae de tympania in rei medicae scriptorum monumentis relata exstant, constat, in sectis cadaueribus hoc malo rebus humanis exemptorum, vt plurimum quoddam ventris viscus, velut hepar, lienem, pancreas, mesenteriumue, obstructione, abscessu, vlcere, scirrho aliaue quapiam laesione corruptum fuisse inuentum. PLATERVS quippe hepar in huiusmodi cadaueribus vitio deprauatum, arenulis, lapidibus infarctum lienem imminutum reperit m). BONETVS quoque testis est, in tympanitico demortuo lienem maxime exilem, in mesenterii autem centro, materiam calculosam fuisse deprehensa n). Sic quoque ANTON. de POZZIS, in eiusmodi defuncto, splenem stupendae magnitudinis et multas libras pendentem offendit o). BALLONIVS quoque, in simili malo arefactas mesenterii se vidisse glandulas, testatur p). TVLPIVS hepar retorridum, lienem tumidum induratumque et renem putridum animaduertit q). Pancreas quoque et mesenterii glandulas, in tympanitici cuiuspiam

C 3

cada-

m) Loc. supra adduct. n) Anatom. pract. Libr. III. Sect. XXI. Obseru. XXII. §. 6. o) Obseruat. XXX. Miscell. curios. ann. 1974. p) Epidem. Libr. II. p. 221. q) Obseruat. medicinal. Libr. II. cap. 35.

cadauere, induratas fuisse, BONE TVS Auctor est r). D. IOANN. PETR. ALBRECHT itidem exemplum cuiusdam, tympanite conflati, affert, cuius in cadauere lienem sphacelatum et corruptum vidit s). Confessae quoque veritatis est, idem morbi eiusmodi mortalibus haud infrequenter ingruere, qui febribus longinquis seu diutinis, (cuiusmodi sunt intermittentes tertianae, quartanae, cetera,) diu multumque conflati sunt, omnium maxime si eis tales febres, noxiis et adstringentibus remediis, vel corruptae fuerint, vel omnino suppressae. Quis vero medendi doctrinae adeo ignarus est, quin sciat, harum febrium conceptaculum ac nidum solenniter fere in ventris visceribus, siue in iecore, siue in liene siue in pancreate mesenterioe, stabilitum deprehendi? vt nec ita mirum sit, si huiusmodi febribus deprauatis aut suppressis morbus tympaniticus frequenter succedat.

§. XXII.

Quid? quod plurima quoque sunt tympanitide extinctorum exempla, vnde omnium oculis patuit, non intestinalem modo, vt ita loquar, tympanitem, sed abdominalem quoque, pro sua causa remota, eaque antecedente, viscerum, in ventris capacitate occultorum, labem quandam agnouisse, temporis progressu in vomicas delapsam, quae tandem ruptae, effuso in abdominis cauum pure, aegrotis eiusmodi tympanitem intulerunt t). Cuius, huiusmodi exempla puris, ex ruptis viscerum abscessibus in ventris spatium excussi, scire interest, ei commendo BONE TI *sepulchret. anatom.* euoluendum, vbi plura eiusmodi obseruata inueniet u). Multi quidem Medicorum in primis recentiorum, qui tympanitem creberrime et frequentissime cum ascite coniunctum esse cognouerunt, in ea sunt sententia, flatus istos, extra intestina, in abdominis antro obuios, ex lymphis, e suis vasis exsudata, inque illud deflua ac sensim isthic collecta, solummodo generari. At vero nihil

r) Libr. et loc. cit. obseru. XXXII. s) Ephem. German. Decur. II. ann. VI.
t) BOERHAAVIUS citat. Aphor. §. 936. 937. 939. 950. VAN SWIFTEN
Commentar. in Boerhauii Aphor. Tom. III. not. in hos eosdem adductos §os.
u) BONE TVS Libr. citat. Tom. II, Libr. III. Section. XVII. Obseruat. II §. 2.
5. 6. et seqq.

nihil est dubii, quin etiam purulenta ista illuuias ex viscerum vomica seu abscessu, effractis repagulis, in abdominis cauum erupta, illicque cumulata et immota haerens, sicque accedente calore loci, in quo inclusa consistit, corrupta, sensim sensimque plurimum aëris elastici excludat atque ex suo complexu emittat: qui ergo ita nunc a lymphæ vinculis laxatus, inque libertatem vindicatus, ingentem flatuum in ventris cauo facit prouentum, abdominis exteriora in conspicuum tumorem attollentium. Ipsa vero purulenta materia, ventris cauo inerrans, interiori suo motu continenter agitata, paulatimque magis ac magis imputrescendo extenuata, tandem in viginem facessit adeo tenuem, vt nullo negotio venarum resorbentium poros seu meatus subire queat, quæ idcirco, bibulis hisce venulis, quibus abdominis interiora obsita sunt, minutatim absorpta recipitur, flatibus in ventris spatio, extra alimentorum canalem, solis remanentibus seque in vnum locum congregantibus.

§. XXIII.

Haëtenus igitur allata quum sint tam manifesta, tam perspicua, vt ipsa sensuum fide et testimonio se tueantur: quisque facile intelliget, has causas, prae ceteris, maximi esse momenti ad eiusmodi debilitatem et atoniam intestinis inducendam: per raro enim accidit, vt a solis ingestis, quantumuis maxime flatulentis et aëre refertissimis, tanta tamque summa intestinorum canali infligatur laxitas, nisi iam causæ quaedam praecesserint, quæ naturalis toni seu roboris, quo hic canalis vtitur, nervos incidissent, eundemque gradatim ita de statu suo natiuo deturbassent, vt, superuenientibus causis occasionalibus, nunc extra modum se, ab aëre intus concluso, expandi facile ac distendi sineret. Consulto autem cogitateque dixi, rarissime accidere, vt intestinis tanta imbecillitas ab alimentis deuoratis, licet aëris copia affluentibus, solummodo induatur, nisi iam aliis internis et praecedentibus causis reddita fuissent habilia et aptissima tam immodice diduci atque extendi. Sed fateri cogor, posse aliquando hoc malum hominibus oboriri, quamuis eiusmodi causarum nulla vnquam in corpore praextiterit, a solis externis et occasionalibus causis, idque bifariam:

r iam:

riam: primum vbi, corpore, choreis, cursibus vel aliis motibus vehementioribus atque corporis exercitationibus, nimium incallescens, exaestuante et insudante, frigidam, magnis iisque continuis haustibus, immodice biberint x). Deinde idem subinde etiam euenire malum ab hausto toxico seu veneno, praeter alios, **CARDANVS** Auctor est y).

§. XXIV.

Postquam igitur praecipuas internas antecedentes causas, quae intestinis tantam laxitatem conflare interdum valent, fini nostro sufficienter attigisse mihi videor: nunc quoque mihi dicendum superest de illis causis, quae in Medicorum scholis occasionales seu *προκαταρκτικοί* nuncupari assolent. Huius itaque census sunt, vt ea compendii faciam, vniuersa esculenta et potulenta, quae plurimum aëris complexu suo continent atque ideo flatulenta audiunt. Cuiusmodi sunt omnia legumina, olera, *ωραία* seu fructus aestiui, farinacea, in primis vel omnino nihil, vel certe non satis fermentata, dulcia, pultacea; cunctaque alimenta cruda, crassa et concoctu difficilia: vniuersa quoque potulenta, non fermentata, sed etiamnum perquam faeculenta, quae omnia, in ventriculum et intestinorum alueum delata, et concoctione extenuata ac dissoluta, plurimum aëris in culina animali generant. Qui proinde, laxatis et ruptis tandem vinculis, quibus tenebatur, se foras erumpens, in laxas et tono suo pristino priuatas intestinorum tunicas impetum facit, iis praeter modum distendendis: hinc illae lacrymae. Videas itaque, illos Auctores vehementer falli in vera tympanitidis ratione explicanda, qui existimant, sola flatulenta alimenta, si quotidie iusto largius capiuntur, potissimum in causa esse, quam ob rem mortales hoc morbo identidem tententur, nulla habita ratione istius imbecillitatis, quae intestinis iam antea ab aliis internis causis inducta est. Quodsi enim culpa in huiusmodi esculentis et potulentis duntaxat esset;

vix

x) BERGERVS Dissertat. citat. §. IIX. y) Libr. II. de Venenis Cap. I. et BONETVS Libr. III, Anatom. practic. Sect. XXI. Obseruat. XXVI.

vix ullam censeo rationem esse futuram, cur hic morbus non frequentior veniat eiusmodi hominibus, qui singulis diebus talibus cibus flatulentis vescuntur, cuius sortis sunt rustici, mercenarii siue operarii, nautae, aurigae, cetera; sed potissime talibus, quibus lautus est et bene largus victus vitaque ignava ac deses, vfu eueniat, cuiusmodi haemorrhoidarii, hypochondriaci, cetera, saepius esse, aduertuntur. Vulgaris enim experientiae est, quam plurimos esse, qui se istiusmodi cibus flatulentis quotidie ingurgitant, nulla inde noxa vel flatulentia vnquam subsequente; argumento testatissimo, tympaniam haudquaquam sola flatulentorum alimentorum culpa, sed potius longe alia causa, cum ipsa intestina, tum praecipue abdominis viscera, per venam portarum his annexa, insidente, exoriri. Sed satis haecenus de causis, hunc morbum progenerare solitis, dixisse mihi videor.

TANTVM.



PRAE.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

P R A E S E S.

Gratulor TIBI, HONORATISSIME DNE CANDIDATE,
ex Parnasso nostro breui discessuro, studium academicum
bene transactum, cuius TE nunquam poenitebit. Sin-
gulare in TE contueor, quod per integrum quinquennium scho-
las iuridicas haud interrupta diligentia frequentaueris, antequam
forum medicum adgressus es: sicuti etiam eruditionem TVAM
in hoc scientiarum genere publice iam comprobasti, dum Prae-
sидe excellentissimo IOAN. PHILIP. CARRACH exercitationem
iuridicam, sistentem *Sicilimenta de interrogationibus in iure earumque
defectu in foris germanicis*, defendisti. A quo autem tempore ca-
stra medicorum sequutus es, parem assiduum industriam in ad-
discenda tam medicina theoretica, quam practica collocasti, quo-
rum utpote laudabilium conatum perpetuus existi spectator.
Non minus TVAM erectissimam vitae rationem et praeclaram
morum honestatem testari me oportet. In specie silentio prae-
terire nefas esset, quanta indefessa opera labores practicos Vener.
B. Parentis mei suffulcire strenue annisus fuisti; quaque ipsa
habitum practicum TIBI conciliasti, quo cum magno emolu-
mento in futura propria praxi frui gaudebis. Hi labores, haec
diligentia, eiusmodi mores suo praemio carere haud possunt, ea-
que sunt vota mea, ut TIBI omnia prospere fluant atque eueni-
ant. Vale igitur atque tantum mihi velle, quantum TIBI cupio,
TVAMQUE rem rectissime agere, perseuera. Dedi Halae ad
Salam in Academ. Frideric. die XXIV. Maii
MDCCLX.



Miscell. med. 98

